



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Examen Confessariorum Repetitum**

**Schoonaerts, Gregor**

**Coloniæ Agrippinæ**

**VD18 14542323-001**

Caput I. Quid sit Sacramentum Pœnitentiæ, & quænam ad illud  
requirantur?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41226**

- ¶ 2. De pueris, qui innocentiam Baptismalem conservârunt, nihil difficultatis esse potest. Cæterùm Confessarii diligenti examine id explorare debent, quia justificationis gratia ob rationis usum obtentum multipliciter & facîle deperditur. Iphis sufficere non debet, quòd actiones mortaliter peccaminosas non inveniant, sed sedulò investigandum, an voluntas per amorem Dei super omnia à primo, sed morali rationis diluculo ad Deum fuerit conversa, & etiamnum sit, quia pueri sæpiùs in lusus & vanitates cor ita divisum habent, ut primum Decalogi præceptum non adimpleant.
- ¶ 3. Qui amore Dei vacui deprehenduntur, mediis facilioribus, & tenellæ ætati accommodatis ad caritatem DEI super omnia priùs manuducendi sunt, quàm ad Eucharistiæ Sacramentum admittantur.

# TRACTATUS

## DE

### SACRAMENTO POENITENTIÆ.

#### CAPUT PRIMUM.

*Quid sit Sacramentum Pœnitentiæ, & quænam ad illud requirantur?*

**P**œnitentia est Sacramentum à Christo institutum, in quo ministerio Sacerdotum remittuntur actualia peccata, & solvuntur

R 4

omnia

omnia vincula ad culpam pertinentia, quibus homini conscientia quasi fuit ligata; remittitur quoque pœna aeterna, & temporalis, vel tota, vel pro parte, secundùm dispositionem Pœnitentis.

2. Adultis post Baptismum in mortale lapsis secundùm omnes Theologos hoc Sacramentum est necessarium vel in re, vel in voto. In re, quando datur occasio illud suscipiendi: in voto, quando deest; ex quo patet ejus necessitas.

3. Hujus Sacramenti tres sunt partes materiales, *Contritio, Confessio, & Satisfactio*, & cuilibet parti materiali correspondet effectus ex opere operato. Præter tres materiales partes datur una formalis, scilicet *Absolutio*.

4. *Contritio, Confessio, & Absolutio* secundùm omnes sunt partes essentielles hujus Sacramenti, ac proinde unâ ex iis deficiente, hoc Sacramentum nullo modo subsistere potest.

5. Secundùm communiorem sententiam, satisfactio est tantùm pars integralis hujus Sacramenti, ac proindè sicut homo potest subsistere sinè manu, & pede, ita & hoc Sacramentum sinè satisfactione; ut patet in moribundo, qui morti proximus absolvi potest, licèt sit impotens faciendi aliquam satisfactionem.

P. 1. Quæ est materia & forma hujus Sacramenti?

R. Materia proxima sunt actus Pœnitentis, *Contritio, & Confessio*; remota verò sunt omnia peccata post baptismum comissa. Peccata mortalia, sunt materia necessaria, venialia, sufficiens: forma verò consistit in his verbis: *Ego te absolvo &c.*

2. An

2. An in hoc Sacramento unum peccatum mortale sine alio possit remitti?

R. Neg. Quia gratia sanctificans, sine qua peccatum mortale non deletur, hominem Dei amicum constituit, à deoque omnem cujuscumque criminis reatum, quo inimici Dei constituimur, necessario dissolvit.

§. I. *De Contritione.*

**C**ontritio est, *Dolor animi, ac detestatio de peccato commisso cum proposito non peccandi de cetero.*

Circa Contritionem notandum, aliam esse Contritionem perfectam, quæ hominem statim Deo reconciliat, etiam ante actualem Sacramenti susceptionem, & ad illam requiritur, ut peccator doleat, ac detestetur peccata, quatenus sunt offensa Dei super omnia perfecto amore amati, & jungat cum hoc dolore & detestatione firmum propositum mutandi vitam, & numquam imposterum peccandi: aliam verò imperfectam, quæ non concipitur ex tam intenso & perfecto amore, sed ex imperfecto: sed quia, teste Catechismo Romano, pauci admodum ad hunc gradum amoris perfecti pervenire possunt, sufficit, & requiritur in Sacramento Pœnitentiæ ad reconciliationem obtinendam dolor proveniens ex amore Dei super omnia, sed imperfecto. Hoc insinuat Conc. Trid. sess. 6. cap. 6. præcipuè, dum ad Pœnitentiam, quam agi oportet à baptizandis, requirit, ut Deum tamquam omnis

justitiæ fontem diligere incipiant, quod per consequens etiam requiritur ad Sacramentum Pœnitentiæ, cum non minor, sed major ad hoc requiratur dispositio, quia Pœnitentia vocatur laboriosum baptisma. Accedit definitiva S. Aug. sententia: *Pœnitentiam certam non facit nisi odium peccati, & amor Dei.* Serm. 7. de Tempore. Necessitatem amoris sexcentis locis adstruit Doctorum Aliqua.

**P. 1.** An ad valorem Sacramenti Pœnitentiæ requiratur formale propositum non peccandi de cætero, distinctum à detestatione peccatorum?

**R.** Neg. Sed sufficit propositum virtuale inclusum in efficaci detestatione omnium peccatorum, quia tunc omnis peccandi voluntas sufficienter excluditur.

**2.** At sit peccatum confiteri sola venialia peccata absque ulla conditione & proposito ea cavendi?

**R.** Aff. Et quidem mortale, quia tunc Sacramentum redditur nullum propter omissionem partis essentialis.

**3.** Quibus casibus tenemur elicere actum Contritionis?

**R.** 1. In articulo mortis. 2. In ejus periculo.

3. Quando quis sentit, se esse constitutum in periculo amittendi usum rationis. 4. Quando quis sibi conscius est peccati mortalis non habens copiam Confessarii, & tenetur celebrare ad vitandum scandalum. 5. Quotiescumque est suscipiendum Sacramentum Pœnitentiæ.

Ni-

Nimis dura & improbabilis videtur mihi eorum sententia, qui sustinent, mox à peccato mortali commisso vigere obligationem eliciendi actum formalem contritionis sub novo peccato, quamvis hoc suadere, laudabile sit.

## CASUS I.

*Quid agat Confessarius cum pœnitentibus sapiens eadem peccata venialia confitentibus?*

R. Suadendum est, ut majoris securitatis ergò mortale aliquod de vita præterita adjungant, eò quòd hâc viâ confessio venialium, in quæ sæpè labimur, & Absolutio Sacramentalis non parum assecurantur. Duo tamen cavenda: alterum, nè pœnitentes de venialium contritione, & emendatione minùs sint solliciti, quàm si hæc sola confiterentur. Alterum, nè mortale illud quasi ex consuetudine subjungant, sine novo dolore & detestatione, historicè magis ipsum narrando, quàm de eo Sacramentaliter se accusando.

## §. 2. De Confessione.

Quantùm ad secundam partem, scilicet Confessionem, ad illam varia requiruntur, quæ tamen reduci possunt ad hæc quatuor: ut sit *integra, fidelis, diligens, & obediens.*

Ad integritatem Confessionis secundùm trid. Sess. 14. cap. 5. requiritur 1. ut pœnitens omnia peccata mortalia, etiam solius cogitationis, quæ post diligentem sui discussionem memoriæ occurrunt, in Confessione explicet. 2. Ut non solum peccata mortalia explicet in genere, & in spe-

specie, sed etiam tenetur peccatorum suorum numerum exprimere, quantum moraliter hic & nunc à Pœnitente fieri potest; proindè si determinatum assequi non valeat, dicat verisimilem, qui talis apparet post diligens examen, plus, minusve. 3. Ut pœnitens non tantum circumstantias speciem mutantem, sed etiam intra eandem speciem notabiliter aggravantes exprimat. Vide fol. 32.

P. 1. Quænam peccata comprehenduntur sub illis peccatis mortalibus, quæ Trid. dicit esse confitenda?

2. Peccata mortalia etiam antè per caritatem perfectam remissa, sed nondum clavibus Ecclesiæ subjecta. 2. Indirectè remissa in præcedentibus Confessionibus. 3. Peccata dubia, de quibus accipe breviter mentem nostram.

Vel dubium est de qualitate, an sint mortalia, an venialia, & tunc sinè dubio exponenda sunt in Sacramento Pœnitentiæ, ut Sacerdos, cujus est inter lepram & lepram distinguere, judicet, feratque sententiam. Vel est dubium facti, an peccata, quæ certò creduntur mortalia, admiseris. Et ea etiam sub dubio confiteri teneris, adjunctis aliis, quæ certam materiam præbeant; quia & illa omittere, quæ fortassis commissa sunt, periculosum, & illa sola exponere, quibus irritum foret Sacramentum, falsæ materiæ, si fortè patrata non sint, appositione, Sacramenti integritati injurium. Et certè sicut de peccatis dubiis tenentur homi-

mi-

mines conteri, nè æternæ damnationis periculo se exponant, ita & ea confiteri omnes tenentur. Obligatio enim non solùm regulatur penes ipsum factum, sed penes certum periculum.

Observandum tamen, quòd confessus peccatum ut dubium, si postea certus de illo fiat, confiteri illud ut certum postea debeat, cum peccatum confiteri oporteat, non solùm ut fuit, sed etiam ut est pro presenti in conscientia.

2. Qualis integritas Confessionis est necessaria?
- ℞. Duplex est Confessionis integritas, materialis una, formalis altera. Confessio dicitur materialiter integra, dum nullum prorsus omittitur peccatum: formaliter verò, dum exponuntur illa, quæ post diligens examen memoriæ occurrunt. Integritas formalis requiritur, & sufficit.
3. An peccati complex in Confessione denudari possit, aut debeat?
- ℞. 1. Si Confessarius, cui complex sit ignorus, absquè gravi incommodo adiri nequeat, pœnitens peccatum suum plenè & integrè debet exponere, quamvis Confessarius in notitiam complicitis venturus prævideatur. Hanc sententiam docet S. Thom. opusc. 11. q. 6. & D. Antoninus 3. p. tit. 14. cap. 9. §. 11. aliquè, quos vide apud Joannem Morin. lib. 2. de Pœnit. cap. 18. constat: ex Præcepto Christi integrè confiteri tenemur, nisi ratio excusans interveniat, sed in casu nulla est ratio non integrè con-

confitendi; quia infamia Confessione intrinseca est, quæ in ipsa Confessione, seu peccati manifestatione consistit, aut ex ea proximè nascitur, non est ratio sufficiens mutilandi Confessionem; alioquin nullus Confessario sibi noto peccata mortalia, saltem enormia aperire teneretur; sed cùm infamia complicitis Confessione sit intrinseca, peccatum complicitis denudari potest. Hoc non obstante

¶ 2. Si pœnitens Confessarium, cui complex sit ignotus, adire possit, ad hoc obligatur; quia Conscientia dicitur, quòd famæ nostræ conservandæ causâ id fieri à complice velimus; ergò ex caritatis lege id facere tenemur, ut famæ complicitis consulamus.

4. An quis confitens peccatum mortale, quod antea in Confessione ritè exposuit, declarare debeat peccatum istud aliàs clavibus fuisse subjectum?

¶ Aff. Quia alia est conditio hominis à peccatis necdum liberi, & alterius, qui delicti veniam quidem impetravit, sed iteratò, & quasi ex abundanti eandem postulat. Ex quo patet, quòd non liceat peccatum recens cum aliis in Confessione explicatis ita confundere, ut Confessarius putare posset, quòd illud præviè adhuc confessi simus.

5. Quàm diligens examen Confessione debet præmitti?

¶ Eam in examine conscientie adhibendam esse diligentiam, quæ in re magni momenti à viro

prudenti adhiberi solet. Ex quo patet, quòd non semper æqualis diligentia requiratur: sicut enim mercator plus studii & laboris impendit in recolligendis, quæ spectant ad negotiationem exercitam spatio duorum annorum, quàm aliquot mensium; ita conscientiae sui latebras, animique sui sinum diligentius tenetur excutere, qui spatio unius anni confessus non est, quàm, qui à duobus mensibus conscientiam expurgavit.

6. An peccet mortaliter, qui in confessione mentitur?

R. 1. Si gravem malitiam Confessario aperiendam mendacio suo obvolvatur, quin mortaliter delinquat, dubium non est.

R. 2. Si quis sciens volensque Confessario mendacium ultrò obtrudat, videri potest Sacramento velle illudere, quamvis mendacium respiciat materiam levem, quo casu periculum mortis non abest.

R. 3. Dum quis ex verecundia, aliâve ratione aliquid contra mentem dicit, si res sit levis, & omnis Sacramenti excludatur contemptus, non video, quâ ratione reatum incurreret lethiferum.

### CASUS II.

*Quid faciendum cum eo, qui dicit: Interroga me, & interim nullum peccatum exprimit?*

R. Vel periculum est in mora, vel probabiliter timetur, si dimittatur, ne rediret, vel tam stupidus est, ut conscientiam suam non possit exami-

minare. Et primò, si talis sit in probabili periculo mortis, videndum, an sciat ea, quæ sunt necessaria necessitate mediæ ad salutem consequendam: si deprehendatur mysteria illa ignorare culpabiliter, ut ordinariè fit, debet se de illa ignorantia in confessione accusare. Si autem parùm temporis supersit vitæ, considerato statu, & conditione personæ, interrogari debet de peccatis aliquibus, quæ à similibus committi solent. Habitâ certâ materiâ absolutionis, Confessarius non ita anxie occupetur ulterius inquirendo, sed reliquum tempus impendat, ut ab ipso possit elicere perfectam contritionem, vel saltem attritionem ex imperfecto erga Deum amore proveniente, cum proposito melioris vitæ, si pristinae sanitati restituatur. Si autem talis supervivat, debet peccata, in præterita confessione omiſsa, defectu temporis examinandi conscientiam exactius postea confiteri.

Si verò non sit in mortis periculo, petendum  
 1. Ex quo motivo venerit ad confessionem? Si dicat ad obtinendam absolutionem à suis peccatis, respondendum, quòd debeat revelare omnia sua peccata, & de iis se accusare, adeoque quando redibit ad sedem confessionalem, debeat prius diligenter examinare suam conscientiam, cum arduum sit Confessario omnia peccata expiscari, licet hâc vice eum velit iurare. 2. Inquirendum, num sciat ea, quæ sunt scitu necessaria necessitate mediæ & præcepti ad salutem. Si illa culpabiliter ignoret, instruendus est,

est, & se de ea ignorantia omninò accusare tenetur. 3. Percurrenta sunt breviter decem Præcepta Decalogi, & quinque Ecclesiæ, attentò statu confitentis, & ejus conditione. 4. Suaviter conetur inducere pœnitentem, ut paulisper patiatur differri absolutionem, quo possit exactiùs discutere conscientiam, præfigendo certum tempus, quo ad absolutionis beneficium (si nihil obstat) certò sit admittendus. Idem faciendum cum rudi, qui nescit examinare conscientiæ suæ statum.

## CASUS III.

*Quid faciendum cum eo, in quo non apparens signa vera detestationis peccatorum?*

R. Talem, antequam absolvatur, disponi debere ad concipiendum Dei timorem, & amorem: ex quibus provenire debet detestatio peccatorum requisita ad Sacramentum Pœnitentiæ. Modus autem perveniendi ad talem dispositionem est inculcatio Divinæ severitatis in impœnitentes, & bonitatis, ac misericordiæ in pœnitentes. Cæterùm ad absolvendum non temerè, inducat ipsum ad veram suorum peccatorum detestationem, quæ proveniat ex aliquo dolore propter Deum offensum, & super omnia, saltem imperfectè dilectum.

## CASUS IV.

*Quid agendum Confessario, quando ex ignorantia aliquem absolvit, quem non poterat absolvere ob casum reservatum, aut aliud impedimentum?*

R. Si probabiliter timeat scandalum in con-

veniendò pœnitentem, vel revocandò, eum committat Christo Sacerdoti summo. Si verò probabiliter iudicet nullum adesse periculum scandalì notabilis, illum conveniat prudenter, dicens, gravem errorem commissum esse in audiendò confessionem ipsius, ideoque rogare, ut velit ei iterùm confiteri, aut saltem licentiam dare ipsum veritatem docendi sub Sacramentali sigillo.

## C A S U S V.

*Quidam interrogatus, à quo tempore præcedentem habuisset Confessionem, respondit, se eam habuisse ab anno elapso; Et postmodùm interrogatus, quantum temporis impendisset ad examinandam suam conscientiam, respondit, se de peccatis suis cogitasse tantùm eo temporis spatio, quo sacrum audivit, Et antea nullatenus. Confitetur interim quadam grandia peccata, de quibus se dicit dolere propter Deum offensum. Absolvitur à Confessario. Queritur, an in hoc, similivè casu prudenter egeris Confessarius?*

*R.* Nequaquam, quia meritò suspicari poterat, pœnitentem, tam exiguo temporis spatio, suam non potuisse debite examinare conscientiam, nec firmum elicere propositum non peccandi de cætero cum peccatorum detestatione. Adde, quòd timendum sit, nè Pœnitens determinatum peccatorum numerum expresserit, nè circumstantias aliquas necessariò exprimendas omiserit. Deindè cor, tanto tempore amore DEI vacuum, de repente immutari non potest. Proindè audiendus benignè, sed suaviter inducendus, ut aliquo tempore pergat examinare conscientiam,

tiam, detestari peccata, accendere ardentius in se caritatem &c.

## CASUS VI.

*Confessarius quidam vi examinis eduxit ex Conscientia Pœnitentis peccatum mortale, quod statuerat celare: Queritur, quid in isto casu debuerit agere Confessarius?*

R. Debit ei proponere enormitatem sacrilegii, quod commisit per occultationem peccati mortalis, debuit etiam efficaciter eum movere ad veram cordis conversionem. Propositâ sacrilegii enormitate, disponat eum ad candidè exponendum cordis sinum, ut sequenti vice fructuosè possit & candidè beneficium absolutionis obtinere.

## CASUS VII.

*Quid faciendum cum pœnitente, qui dicit: Dubito, an omnes meae Confessiones præterite fuerint bonæ, & absolutiones validæ?*

R. Considerandam esse Pœnitentis conditionem, an sit scrupulosus, nec nè. Si scrupulosus, qui ex infundatis suspicionibus statim iudicat suis actionibus subesse malum, non facilè est admittendus ad repetitionem suarum confessionum, cum experienciâ constet, quòd illam repetitionem non nisi cum gravi sui incommodo præstare possit. Quomodo cum tali procedendum, vide fol. 35.

Si Pœnitens scrupulosus non sit, petendum ab illo, ob quam rationem dubitet de confessionum suarum valore? Si deprehendat Confessa-

rius, quòd vel ex timore, vel pudorè &c. omiserit aliquod peccatum mortale confiteri, tunc dicendum, quòd illam confessionem, in qua tacuit illud peccatum, deberet repetere, & omnes sequentes, & quòd simul deberet exprimere, quoties postea confessus fuerit, & absolutus, cum toties commiserit peccatum sacrilegii, quoties memor invalidæ confessionis Sacramenta suscepit. Si deprehendat Confessarius, verè dubium & incertum esse, an fuerit commissus defectus in præteritis confessionibus, petendum 1. quoties cum tali dubio confessus fuerit, & absolutus; quia cum non liceat agere cum conscientia practicè dubia, toties peccavit mortaliter, quoties absolutus fuit, nisi tunc ad iudicium prudentis viri, & ob rationes fundatas, deposuisset conscientiam dubiam, quòd licitè posset absolvi sine repetitione confessionum. Si tamen dubium maneret, consulendum 2. ut ad sedandam suam conscientiam institueret generalem confessionem totius vitæ, & sub dubio consisteretur peccata sacrilegii, quæ fortè comisit in sequentibus confessionibus, nisi gravia obstarent incommoda.

## CASUS VIII.

*Quid faciendum, si sponsus habuerit copulam cum Sponsa, & Sponsus manè veniat ad Confessionem, & confiteatur, se nocte præcedente dormivisse cum sua Sponsa. Absolutà à Sponso Confessione, accedit Sponsa, (certum supponitur, quòd alteri Confessario non fuerit confessa) & in Confessione ex pudore &c. non accusat se de copula habita?*

Ubi Sponsa suam conclusit confessionem, petendum absolutè & efficaciter ab ea, an sint omnia peccata, quæ post ultimam confessionem commisit, quia vel unum peccatum mortale omittere scienter, & culpabiliter, est mortale peccatum, & sacrilegium, adeoque reddit pœnitentem incapacem Absolutionis. Si dicat, se nulla commisisse alia, poterit cautè interrogare Confessarius, an non impudicè attigerit suum sponsum, vel permiserit se impudicè tangi ab altero, & sic à longè examinanda est de copula.

Neque ab illa interrogatione obligor abstinere, quia non sequitur, quòd utar scientiâ ex confessione habitâ, quia illa scientia excitat memoriam meam tantùm, ut hîc faciam, quod sepositâ illâ scientiâ facere potuissem, & fortè debuissim. Si Sponsa neget se impudicè sponsum attigisse, vel permisisse impudicè attingi à Sponso, tunc non est necesse ulterius petere, sed poterit ingenuè proponere DEI scientiam omnia peccata cognoscentis, & futuram eorum omnium in die iudicii (nisi per confessionem deleantur) notitiam & confusionem, ac æternam in inferno ignominiam. Si nec hoc modo emolliatur, Absolutio sub conditione dari potest, si cæteroquin videatur benè disposita; hoc enim modo reverentiæ Sacramenti consulitur, & abusus scientiæ ex Confessione acceptæ evitantur.

## CASUS IX.

*Plurimi Nobiles dum confitentur, nihil, aut parvum dicunt de peccato vindictæ, plurimi mercatores*

*nihil de usura, plurimi opifices nihil de fraudibus  
 &c. Quomodo se geret Confessarius in hoc casu?*

*R.* Confessarius tenetur formare ideam peccatorum, quæ homines talis conditionis possunt, & subindè solent committere, & eos ante absolutionem de talibus interrogare: quia quotidianâ constat experienciâ, plerosque habere spiritum talium peccatorum, de quibus tamen non habent conscientia remorsum.

### CASUS X.

*Quidam contracturus matrimonium cum persona, quâ semper abusus fuerat usque ad illud tempus, confessus est quidem sua peccata, sed non adhibuit nisi communem, facilemque preparationem: Queritur, quid Confessarius debuerit agere?*

*R. 1.* Si tunc fuerit moralis necessitas mox suscipiendi Sacramentum Matrimonii, nec commodè differri potuerit, conetur eum exhortari ad eliciendum actum amoris benevoli, & detestationis peccatorum, & absolvat sub conditione, adhibitâ hâc cautelâ, ut pœnitens postea revertatur, eadem peccata repetat securitatis ergò, subministrando materiam certam, & non communice.

*R. 2.* Seclusâ prædictâ necessitate morali, verisimiliùs apparet, quòd Confessarius non debuerit ipsum absolvere, etiamsi peccandi occasio esset auferenda per matrimonium, quia seria peccati detestatio, proveniens ex amore Dei non elucet indiciis sufficientibus.

## CASUS XI.

*Quidam Confessarius solebat ingemiscere, dum penitentes exponebant gravia peccata, ita ut hoc adverteretur ab aliis. Interim pluries monitus, non se correxit, quia inadvertenter id facere assererat. Queritur, an sigilli violator?*

R. Aff. Si non formaliter, saltem interpretativè, & implicite sigillum violavit, quia illi gemitus erant voluntaria gravium peccatorum manifestatio: undè in casu Confessarius ille à confessionibus publicè excipiendis omninò abstinere tenetur.

## CASUS XII.

*Quid agat Confessarius cum penitente, qui de numero peccatorum interrogatus, eò quòd ita confiteatur, ALIQUANDO PEJERAVI, NONNUNQUAM DETRAXI &c. dicit, se non esse solitum aliter confiteri, nec unquam de numero peccatorum fuisse interrogatum?*

R. Si penitens de proposito omiserit numerum exprimere, vel sciens, quòd esset exprimendus, ideò non expresserit, quia non interrogabatur, vel denique per ignorantiam crassam, aut affectatam, ita confessus fuerit, omninò urgendus est ad illarum Confessionum repetitionem, nec est antea absolvendus, nisi sit ratio excusans. Si verò bonâ fide processerit, simpliciter existimans non esse necessarium aliter numerum exprimere, (quod in his partibus rariùs locum habet) non sunt iterandæ quidem præcedentes confessiones, sed supplendus earum

defectus per verisimilis numeri omitti expressio-  
nem; & instruendus talis pœnitens, quòd im-  
posterum teneatur numerum exprimere. Opti-  
mum autem erit consilium, ut confessionem  
generalem totius vitæ instituat, si ad illam fa-  
ciendam induci possit, & fuerit idoneus.

### CIRCA NUMERUM EXPRIMENDUM

**D**uo sunt observanda. Primum: Ubi non  
potest pœnitens certum numerum exprime-  
re, exprimat verisimilem, & qui magis ad cer-  
tum accedere censeatur, addendo, *plus, minus-  
ve*. Advertendum tamen, ut non quasi divinan-  
do, aut in genere numerum quemcunque, etiam  
majorem sumendo, confiteatur, sed prudenti  
æstimatione, & reminiscencia, quis similiter sit  
numerus, perpendat. Unde perperam agunt illi  
pœnitentes, qui absque iudicio, & debito exa-  
mine, quasi ad singulos numeros adhibent par-  
ticulas illas *plus, minusve*, sibi abblandientes  
quasi omnium numerum per hoc suppleant: sup-  
pletio enim debet esse moralis, ex iudicio, & mo-  
rali examine fiat, necesse est.

Alterum est, ut dum nec certus, nec vero-  
similis aliquis numerus colligi potest propter  
lapsuum multitudinem, & nimis diuturnam  
Confessionis dilationem, candidè aperiat pœ-  
nitens in qualibet specie suum statum, videlicet  
inclinationes pravas, consuetudinem, modos  
& frequentias lapsuum per diem, aut hebdo-  
madam, durationem temporis, quâ in pecca-  
ro

torum commissione voluntariè permanserit, in-  
centiva occurrentia &c. ex his cognoscere pote-  
rit Confessarius Pœnitentis statum.

## CASUS XIII.

*Quid agendum cum illis, qui consueverunt toto  
ferè die colloqui de rebus turpissimis, sinè ullo delectu  
circa materiam, vel socios, tam circa conjugatas,  
quàm solutas? Vitium hoc admodùm juvenibus  
commune, qui (prò dolor!) sæpè ex ignorantia suas  
referunt impudicitias, & sapissimè à se factas fin-  
gunt, quas fecerunt numquàm.*

Re. In illis videndum est 1. quâ intentione pro-  
tulerint turpia, & lasciva: an animo se, aut alios  
ad libidinem provocandi, vel oblectandi se re-  
bus ipsis turpibus, quas narrant, aut cum alicujus  
similis delectationis periculo, quod semper mor-  
tale est, an verò ex levitate dumtaxat, vel ob so-  
lam delectationem, quæ non transeat ad res per  
verba significatas, sed in ipsis verbis, eorumque  
artificio sistat; sed cum hoc regulariter fieri non  
possit sinè aliorum scandalo, vel alicujus ulte-  
rioris consensûs periculo proprio, vel alieno,  
ordinariè lethiferum est.

Secundò ex parte materiæ considerandum, de  
quibus rebus colloquia misceantur. Denique ex  
parte audientium, coram quot personis, & qua-  
libus. Diligenter etiam invigilandum, an fa-  
mam personæ tertiæ similibus jactantiis non gra-  
viter lædant.

Nec excusanda sunt hujusmodi spurciloquia,  
quòd coram conjugatis dumtaxat proferantur,

(ut sibi communiter persuadent uxorati, existimantes sibi penè licere in hac materia loqui, quidquid sibi libet) imò ex hoc capite sæpè graviora sunt peccata, si nimirum multum obscæna fuerint, & ad Venerem vehementer provocantia. Si tamen non admodùm sint lasciva, per se loquendo minùs peccat coram conjugatis turpiter loquens, quàm coram juvenibus, & puellis, in quibus ut plurimùm (experientiâ teste) majus est periculum, quàm in uxoratis.

## C A S U S XIV.

*Quid agendum cum eo, qui passim solet turpiter concupiscere mulieres sibi obvias, aut circa eas morosè delectari?*

R. Confessarius non debet exigere tam exactum peccatorum numerum, sed contentus sit, si Pœnitens, præter conditionem suæ personæ, explicet, quamdiu illam habuerit consuetudinem, & species principales, V. G. an frequentet circa conjugatas, an aliquando circa cognatas, vel personas sacras delectationem morosam, aut mœchandi desiderium habuerit; dicendo specierum, quarum potest, & quoad potest, numerum verosimilem, qui in concupiscentiis saltem rarioribus, V. G. incæstuosis, sacrilegis, ad assequendum moraliter, non videtur adeò difficilis.

## C A S U S XV.

*Solutus cum soluta totâ nocte decumbens, animo explendi libidinem, quoad posset, confitetur hoc modo: Totâ nocte in lecto impudicè conversatus cum*

*una, quâcum feci, quod volui; quaritur, an satis integrè confiteatur?*

R. Neg. Sed exprimere debet, quoties cum ea copulam habuerit. Cùm enim qualibet fornicatio sit actio totalis, & completa, nec una ordinetur ad aliam, intentio eas exercendi intra aliquod certum tempus, non efficit, ut eæ sint una moraliter actio peccaminosa. Verba tamen, & oscula, tactus impudici in ordine ad copulam subsecutam (nisi specialem turpitudinis modum contineant: idem dic de osculis copulam immediatè sequentibus, absente periculo ad novam copulam, vel pollutionis) non sunt ordinariè exprimendi, quia hæc & similia sunt copulæ præambula, vel eam approbantia, in quorum notitiam ex actu principali facilè deveniet Confessarius. Aliter tamen resolve, si oscula & tactus multùm extraordinariè duraverint, ut moraliter loquendo non censeantur copulæ præambula, vel cum copula peracta quid unum constituentia.

## CASUS XVI.

*Quid dicendum de illo, qui ab ultima ante trimestre Confessione nullius sibi conscius mortalis noxa, nollet morti proximus confiteri venialia, qui non deprehendit in conscientia ullum grave peccatum: aut triduo, vel quatruiduo ante, nil de morte cogitans, fuisset confessus, diceretque, se ex eo tempore ab omni gravi crimine sibi per Dei gratiam diligenter cavisse?*

R. Desistendum non est, quousque cum vo-

lun-

luntate percipiendæ absolutionis sua venialia aperiat, tum ad indirectam remissionem mortalium, si quod fortè in animo lateret, tum ob gratiam Sacramentalem, & venialium à consecutione gloriæ retardantium remissionem: tum denique ad satisfaciendum piæ fidelium consuetudini, & singulariter in primo casu, ad evitanda scandala, & domesticorum sæpè tristitiam, timoremque.

## C A S U S XVII.

*Quomodo se geret Confessarius, dum pueros habet confitentes?*

R. Viri docti hoc in casu non modicam patiuntur difficultatem, & scrupulum. Igitur de capacitate puerorum, ac puellarum Confessarius judicare non debet ex sola ætate, ex eo utique, quòd septennium exegerunt, sed præter ætatem examinabit ingenii & educationis qualitatem, ex qua constat multos post illam ætatem, alios antè peccati mortalis capaces fuisse. Observabit etiam vultum, & gestus ipsorum, utrùm modestè & devotè se gerant in Confessione, an ridiculè, V. G. nugando cum cratibus, cum pileo &c. facietque interrogationes, ex quarum responsis intelligere possit, utrùm discernant bonum à malo? Utrùm habeant timorem Dei, & affectum ipsi inserviendi? Utrùm pudefiant de mendacio, de aliqua impudicitia cum aliis commissa? &c. Proderit etiam interrogare, cur venerint ad Confessionem, & suaviter inculcandum, quòd, qui nolunt confiteri peccata sua,

igne

igne inexstinguibili puniantur, qui confitentur verò, cœlo donentur. Pensatis omnibus, si iudicet puerum verè & deliberatè peccâsse in eo, quod confitetur, examinandus erit, imò iuvandus ad eliciendum actum supernaturalem fidei & doloris. Ab actu fidei transibit ad actum spei, & detestationis peccatorum. Denique examinari debet, an doleat ex solo motivo humano, quia à patre vapulabit, an, quia Deum offendit, vel quia peccatum est contra Deum. Sunt enim non pauci à natura ita vagi, & malè educati, ut licèt satis dispositi fuerint ad peccandum, non sint tamen satis dispositi ad dolendum, nec aliquando satis hîc & nunc disponi possint. Quo casu Confessarius eos non terreat increpando, sed aliquam orationem Pœnitentiæ loco ipsis imponat, deinde cum benedictione eos dimittat; expedit enim, pueros, etiam absolutionis nondum capaces, benignè audire, aut paulatim instruuntur, & Confessione assuescant.

## CASUS XVIII.

*Quomodo Confessarius suscipiet tepidos, suæque perfectionis Christianæ incurios, adeò, ut licèt mortalia nulla committere videantur, nulla etiam Christianæ vitæ signa demonstrant?*

R. Verbis Apoc. commonendi sunt: *Utinam frigidus esses, aut calidus; sed quia tepidus es, incipiam te evomere.* Objicienda ergò damnanda securitas, & inducendi ad ferventem caritatem. Verùm hoc opus, hic labor est. Ex una enim parte caritatem sperare non possunt per Sacramenta

in

in periculoso illo statu suscepta. Ex altera parte, cum nihil confiteantur palpabiliter criminofum, ipsis Confessarius facilè videbitur nimis austerus, si ipsos ab absolutionis beneficio excludat. Sua igitur ipsis indignitas tantâ suavitate proponenda est, ut lubenter acceptent Absolutionis beneficium differri. Ad hoc proderit magna cum mansuetudine, & caritatis testificatione, zeloque salutis ipsorum interrogare, 1. An non ita sit, quòd à multis annis (post tot Communiones, Confessionesque) semper iidem, vel fortè magis negligentes manserint in iis, quæ Dei sunt? 2. An non videant, quòd nisi de somno suo surgentes novum fervorem concipiant, semper iidem permanent, & in suo torpore, perfectionisque neglectu, ut vixerint, morientur? 3. An non optent talem nancisci Confessarium, qui ipsos à periculoso illo statu excitet? 4. Interrogandi sunt, an non libenter essent in sancta illa dispositione, in qua & fructuosè Sacramenta suscipere, & quæ Dei, suæque salutis sunt, cum fervore peragerent, ut sic jucundè vivere, & mori possent securè. Si desiderium hujus dispositionis excitaverit in ipsis Confessarius, ostendet possibilitatem eam brevè assequendi, & ideo antea omnia excitandum in ipsis erit votum, se speciali modo præparandi ad Sacramenta illa debite & fructuosè suscipienda, hortabiturque ad confessionem fervore extraordinario instituendam, eamque, si fieri possit, generalem. Eum in finem ea suggeret, quæ videbuntur utilia ad illum

fer-

fervorem concipiendum, & excitandum ingens præteriti temporis odium, & dolorem, addendo, quæ specialiter serviunt ad caritatem accendendum, ut sunt orationis studium, frequens elevatio mentis in Deum per pias aspirationes, mortificatio passionum, concupiscentiarum, &c. Præcæteris inculcabit humilis orationis studium. Dein dicet Confessarius consultum esse, ut tantisper expectent, seseque specialiter præparent, antequam Sacramenta suscipiant. Tandem monebit eos, ut interim ad Confessarium identidem accedant, narraturi, quomodo res succedat, ab ipso consilium accepturi, & consolationem.

## CASUS XIX.

*Quid agendum cum illis, qui vix ulla peccata sponte confitentur, sed tamen à Confessario interrogati, fatentur multa mortalia?*

R. Plerumque illos esse imparatos ad Absolutionem: quia verosimile est, quòd Pœnitentes istiusmodi usque ad ingressum in sedem Confessionalem, imò ad ipsum ferè momentum, quo interrogantur, vel rudes omninò fuerint, & morum Christianorum imperiti, vel quòd nulla ipsis cura fuerit pœnitere peccati, proponere emendationem, & integritatis Confessionis satagere, vel (quod deterius est) ex composito illa mortalia subtrahere, si de illis non interrogarentur.

## CASUS XX.

*Quid censendum de illis, qui ad hoc usque momentum, quo à Confessario instruuntur, ignorant voluntates internas, aut consensus internos circa objecta*

*objecta libidinis, vindicta &c. esse peccata mortalia, atque ita multa huiusmodi commiserunt?*

R. Et hos ordinariè non absolvendos, sed suaviter instruendos, ob hanc quidem rationem: quia dispositio eorum ut minimum est ambigua; eadem sit sententia de iis, qui mortaliter deliquerunt frequenti pollutione, quam hæcenus peccato mortali non annumerârunt.

### §. 3. De Satisfactione.

QUANTUM ad satisfactionem olim impositam, illa rigidissima fuit, ut constat legenti antiquos Canones Pœnitentiales: flacciscente tamen caritate, rigor ille Ecclesiæ primitivæ multum est ab Ecclesia immutatus, non tamen totaliter relaxatus. Unde P.P. Conc. Trid. hoc saluterum condunt præceptum sess. 14. cap. 3. *Debent ergò Sacerdotes Domini, quantum spiritus & prudentia suggesserit, pro qualitate criminum & Pœnitentium facultate salutare & convenientes satisfactiones injungere: nè, si fortè peccatis conniveant, & indulgentius cum pœnitentibus agant, levissima quadam opera pro gravissimis delictis injungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur. Habeant ergò præ oculis, ut satisfactio, quam imponunt, non sit tantum ad novæ vitæ custodiam, & infirmitatis medicamentum, sed etiam ad prædictorum peccatorum vindictam, & castigationem.* Collige, quid judicandum de illis Confessariis, qui peccatoribus omnibus quantumcunque gravibus non injungunt nisi quinque Pater & Ave, vel recitationem unius Psalmi.

Ha-

Habenda igitur, juxta Rituale Romanum tit. de ordine administrandi Sacramentum Pœnitentiæ, ratio statûs, conditionis, sexûs, ætatis, & dispositionis Pœnitentis, & quantum poterit, contrarias peccatis Pœnitentias injungat, veluti avaris eleemosynam, libidinosi jejunia, vel alias carnis mortificationes, superbis humilitatis officia, desidiosis devotionis studia &c.

Cavendum tamen Confessariis, nè in alterum extremum declinent, nimium leves imponendo, vel nimis durum, aut austerum se Pœnitentibus exhibendo. Præstat enim parvâ Pœnitentiâ, quæ spontè assumitur, & verisimiliter adimpletur, ducere confessos ad Purgatorium, quàm cum magna non adimplenda præcipitare in infernum.

P. 1. An teneatur Pœnitens pœnitentiam rationabilem sibi impositam acceptare, & implere?  
 R. Aff. Quia ut patet ex Trid. tenetur Sacerdos Pœnitenti injungere pœnitentiam; ergò Pœnitens eam tenetur acceptare, alioquin frustra foret obligatio Sacerdotis ad imponendam, si non esset obligatio Pœnitentis ad illam implendam.

2. Quando nam Pœnitentia est adimplenda?

R. Tempore à Confessario præfixo, quòd si nullum determinatum præfixerit, censebitur obligatio, ut adimpleatur primâ opportunitate.

3. Ad quid est obligatus, qui est oblitus satisfactionis sibi impositæ?

R. Quòd si posset adire eundem Confessarium, & ille recordetur satisfactionis impositæ, vel

T

pec

peccatorum confessorum, tenebitur ab illo exigere novam satisfactionem: quòd, si non possit eundem Confessarium adire, & suã culpã contigerit illa oblivio, tenebitur alteri Confessario confiteri, & novam satisfactionem exigere. Deniquè si sine culpa contigerit illa oblivio, consultum erit per modum satisfactionis aliquid injungere pro confessis peccatis, licèt non sit absolutè necessarium, maximè si Confessarius post absolutionem adjunxerit illa verba: *Passio Domini nostri Jesu Christi &c. quidquid benè feceris &c.* tunc enim bona opera subsequèntia habent vim injunctæ satisfactionis.

4. An satisfactio injuncta possit mutari?
- R. 1. Confessarius, cui Pœnitens sua exposuit peccata, pœnitentiam mutare potest justã subsistente causã: ille enim, qui pœnitentiam imposuit, potest eandem mutare.
- R. 2. Confessarius, cui Pœnitens confessus non est, pœnitentiam mutare non potest, nisi Pœnitens sua repetat ad minus in confuso peccata, aliàs exposita: Confessarius enim judex est, qui sicut incognitã causã sententiam ferre non potest, ita nec datam mutare.
5. An sufficiat implere pœnitentiam in statu peccati mortalis?
- R. Quamvis magis consultum videatur eam in statu gratiæ adimplere, sufficit tamen, si quovis tempore peragatur, sive homo existat in statu gratiæ, sive in statu peccati mortalis, vel  
maxi-

maximè si deponat affectum peccati: in primitiva enim Ecclesia satisfactio regulariter adimplebatur ante Absolutionem, & per consequens in statu peccati mortalis frequenter.

## CASUS XXI.

*Quidam indiscretus Confessarius cuidam ancilla pro Sacramentali pœnitentia precipit, ut per octiduum jejunaret in pane & aqua, & per triduum abstineret ab omni verbo proferendo, & interim illa ancilla erat toto tempore domesticis curis vacatura; queritur, an talis Confessarius rectè egerit?*

R. Egit imprudentissimè cum indirecta sigilli Confessionis violatione, cum ex indiscreta illa Pœnitentia in illa familia suborta sit suspicio ingens gravioris alicujus delicti.

## CAPUT II.

## De Casuum Reservationem, &amp; Sigillo Confessionis.

§. I. *An reservatio graviorum criminum valida sit, & utilis?*

R. Aff. **C**onstat ex Trid. sess. 14. cap. 7. Ratio in promptu est, quia superiores Ecclesie possunt inferioribus Sacerdotibus conferre jurisdictionem ad certa peccata restrictam; & hoc valdè utile est, ut scilicet Superiores compescant suos subditos à gravioribus peccatis.

Nota, quòd quilibet Sacerdos in probabili mortis articulo à quibuscumque peccatis validè & licitè queat absolvere.